



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Pia Desideria

Hugo, Hermann

Mediolani, 1634

XI. Surgam & circuibo ciuitatem; per vicos & plateas, queram quem diligit
anima mea quæsiui illu, & non inueni. Cant. 3.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43734



Surgam et circuibo ciuitatem: per vicos
 et plateas quæram quem diligit anima mea:
 quæsiui illum et non inueni. Cantic. 7.
 C. Blancus fec.

X I.

Surgam & circuibo ciuitatem ; per vicos &
plateas quæram quem diligit anima
mea: quæsiui illum, & non
inueni. *Cant. 3.*

TAndē, serò licet, meus est mihi cognitus error.
Si bene quæsissem, sponse, repertus eras.
Credideram placido somnos te carpere lecto,
Commodus, at video, non fuit ille torus.
Quid faciam? cœpte pergam dare membra quieti?
Et sine te somnus lumina nostra teget?
Ah, sine te, nequeam solito dare membra sopori.
Aut vlla, sine te, sponse, quiete, frui!
Non si somniferis inuitet lympha sursurris,
Lympha cauernoso precipitata iugo;
Aut nemorum blandis agitata cacumina ventis,
Multaque, quæ syluis garrula cantat auis.
Aut Heliconiadum, Parnassia turba, Dearum,
Aut pater auratæ Delius ipse lyre.
Nec tua discutiant mihi, Somne, papauera curas,
Humida nec virga tempora tacta tua.
Noxia nec vigilem quæ sopijt herba Draconem,
Fi-

Fistula quaeque oculos condidit, Arge tuos.
 Vix ubi composui luctantia lumina somno,
 Rumpitur indomito coepta dolore quies.
 Et nullam accipiunt oculiq; aut pectora noctem.
 Quin mihi, nox etiam creditur vna, decem.
 Fingit & assidue de te, mihi somnia Morpheus,
 Nec fugis ex oculis flebilis umbra meis.
 Cur toties igitur somni mihi nocte petuntur,
 Si mihi nulla venit, nocte, petita quies?
 Eripiar stratis, mediamque vagata per umbem,
 Quo fors aut ratio me volet ire, ferar.
 Et circumspiciens, num forte quis angulus abdat,
 Queram quem propria diligo plus anima.
 Queram porticibus, queram stabulisq; casisque,
 Perque semel tritas ibo, redibo, vias.
 Nec male perspecta fallet specus vlla latebrae,
 Nec quem transiero, circulus vllus erit.
 Qualis odora canis vestigia pressa ferarum
 Mersa nare legens, lustra, rubosque subit:
 Aut qualis siculas Ops errabunda per vrbes,
 Aspicit an flores perdita Nata legat;
 Ruraque piniferis vestigans ania redis
 Persephonem stygijs optat adire vadis.
 Aut potius Solynsis qualis vaga Megdala capis
 (Cum flebat Domini marmor inane sui)

Saxæ

LIBER SECVNDVS, 155

Saxa per alta rudesque ruit furiata per agros
 Qua dolor ancipitem qua rapiabat amor.
 Omnibus vna locis aderat, comes omnibus vna,
 Vna super Domini funere multa rogans.
 Attica sic viduo volucris gemit anxia nido,
 Luctu sonisque nemus personat omne modis:
 Et circum, supraque volans, nunc ardua summo
 Vertice, nunc ima pendula fronde sedet;
 Et raptam sobolem, raptoris & aucupis artes
 Heu! consanguineo nunciat orba gregi.
 Haud aliter cunctis lustrari compita vicis,
 Non tamen est vlllo praeda reperta loco.
 Infames vici, loca detestanda plateæ,
 Decepto toties compita trita pede!
 Amissum in thalamis, foris hic reperire putabam,
 Sed male questus, perditus vsque latet.

AMBROSIVS

L. 3. de Virg.

NON in foro, non in plateis Christus re-
 peritur, non est Christus circumfeta-
 neus: Christus enim pax; in foro lites: Christus
 iustitia est; in foro iniquitas. &c. fugiamus ergo
 forum, fugiamus plateas.

Nun